Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2533

Quelle:
Copyright:

tus fuerit ex aqua et ſpiritu ſancto non poteſt uidere regnum dei. Secunda caritatis effectus ut eſt illud. remittentur ei peccata multa quia dilexit multum. Tertia elymoſinarum fructus &c. Ex quo patet, contineri hic *Prologum* illum *de XII. Remiſſionibus Peccatorum*, quo *Poenitentiale Cod.* DCLXIX. indicatum interpolari diximus, quamquam phraſis paſſim variet, et poſt verba: *Uetus namque prouerbium eſt. contraria contrariis ſanantur*; utrinque in diverſum abeatur. Codicis enim praeſentis hae ſunt Rubricae: *De uitiis gule et ebrietate uel uomitu. De diſcretione Ciborum Mundis et Inmundis. De fornicatione et Reliqua in Ingenia* (ſic) *Luxoriandi uel Inmundum pollutiones. De Sodomitis. De diuerſo Lapſu Seruorum dei. De Babtizatis bis qualiter peniteant. De opere die dominico et qui die domini ieiunant. De communione euchariſtie uel Sacrificio. De queſtionibus Sacrificii uel Neglegentiis. Item de diuerſis Neglegentiis de ſacrificiis. uel miſſis Seu diuerſis Malis de Reconciliatione. Nunc de priorum ſtatuta noſtrorum patrum proponamus. De auaritia. De iracundia et diuerſis uitiis. De cogitationibus.* Ad calcem hujus Rubricae legitur: *Finit deo Gratias.* Sequitur vero Peroratio in hunc modum: *Haec amantiſſimi fratres ſecundum ſententiam ſcripturarum uel opinionem quorundam doctiſſimorum pauca de penitentiæ remediis uestro amore conpulſus ſupra poſſibilitatem meam poteſtatemque temptaui ſcribere* &c. Et tandem: *finit iſtud opuſculum quod coaptauit uinniaus ſuis uiſceralibus filiis dilectionis gratia. uel religionis obtentu de ſcripturarum uenis redundans ut ab omnibus omnia deleantur hominibus facinora.* Quis ſit *Vinniaus* Poenitentialis iſtius Compilator, nondum deprehendi, modo ne Librarius nomen iſtud, ut alia, depravaverit. In *Gallia* eum egiſſe ex eo verſimile fit, quod inter dies, *qui non computantur in penitentia*, diem *ſancti martini* cenſeat. Sequuntur porro in Codice a *fol.* 40. ut ejusmodi Collectionum fortuna fuit, eadem manu adjecti hi Tituli: *Inquiſitio Sancti hieronimi de penitentia. De Miſſa defunctorum. De eccleſiae miniſterio uel Reedificatione eius. De adulterio et Rapto* &c. *De inceſtis coniunctionibus. De bis qui ſicut muta uixerunt animalia. De furto et incendio et ſepulchrorum uiolatores et qui patrem expulit et de preda hoſtium et captiuitate et fortia uel pecunia eccleſiaſtica furata ſiue rapta. De periurio et falſo teſtimonio et mendacio. De homicidio et Sanguine effuſione ſine morte et paruulos* (ſic) *obpreſſus. bis qui ſine babtismo moriuntur et abortus et qui membra ſua abſcidunt* (et qui praebent) *ducatum barbaris. De maleficis ueneficis ſacrilegis ariolos ſortil. diuin. et uota reddentes niſi ad eccleſiam et quod in kl. Ianuam* (Ianuarii) *Ceruulus et uecula* (vetula) *dicunt et matimaticos. et emiſſores tempeſtatum. De uſura et cupiditate auaritia et qui hoſpites non recipit et qui Mandata euangelica non implet. De ira triſtitia*

odio